



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Castellana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA
CASTELLANA.



CONTINET Castellana Provin-
cia de nostris quatuor circiter &
quingentos. In Vallisoletana Pro-
fessorū Domo quinque & triginta.
In Collegio triginta. In Abulen-
si, Compostellano, Burgensiq. to-
tidem. In Salmanticensi quinque & sexaginta. In
Medinensi Probationis Domo duos et quadraginta.
Duodetriginta Segobij. Quinque & viginti Palen-
tia. Duos & viginti Logronij. In Collegio Montis
Regalis septem, et triginta. In Omnatensi duodecim.
In Legionensi septem, & viginti. Viginti Numan-
tia. Totidem Oueti. Duodequadraginta Villagar-
sia. Tredecim denique Pompeiopoli. Vita sancti
sunt sex.

VALLISOLETANVM, SALMAN-
ticense & Burgense Collegia.

EVALLISOLETANA Professorum
Domo, Collegioq. nihil hoc anno præter visita-
ta, singularis affertur. Geruntur more nostro per-
multa in salutem & commodū animorum: conati-
busq.

busq. sua respondet utilitas. Illud ad Societatis existimationem plurimum valuit, quod cum quasdam quotannis pecunias Vallisoletano Collegio Civitas daret, nostri ne stipendij loco, ea quis deferri suspicari posset, Civitati ipsi reijcienda putarunt.

SALMANTICAE doctrinarum studia, ea qua solent sedulitate tractantur; & ex quo desitum nostris est, publicum frequentari Gymnasium, institutum aq. domesticae scholae, quoniam & otij, & valetudinibus minus sit omnino iactura; plus profici videtur in litteris. Habita tamen sunt interdum in Academiae luce disputationes magna cum laude: interdum etiam nostris in adibus, frequentia hominum non minore. E concionibus, plurima ad animos manavit utilitas: argumento fuit multorum charitas in fovendis sua benignitate mendicis: ita ut quidam pallia nonnumquam sibi detraxerint, ut egenorum nuda corpora cooperirent. ac praeter panes numosq. qui quotidie passim diuidebantur; quoniam elemosynarum magna vis fuit, multarum etiam puellarum orbitas solitudoq. sustentata est: annuoq. circiter spatio ingenuis octoginta familijs, cum a querendo victu nobilitas deterreret, victus ipse liberaliter impertitus. Instruxit etiam liberalis hominum pietas, hortatu auctoritateq. nostrorum, necessaria suppellectili sacras aedes. Nec in postremis curis pagi sunt habiti: plurimum enim Zamora duo de nostris, quadraginta dierum opera tum sacris, tum forensibus concionibus profuerunt; ita ut Collegij desiderio civitas, quicquid ad eam rem pertineret, lar-

ge prolixeq. sponderit. Nam gratiarum reconciliations, quæ vel hominum cum Deo, vel cum ipsis hominibus inter se factæ sunt, eæ quotidiana tritaq. cum sint, numerare iam tædet. Quidam inter peccatorum confessionem cecidit inter mortuus, adhibetur illico medicamina, quæ hominem restituant, & ad vitæ reducant officia. cum inania & inertia essent omnia, ad extremū sacrosancti Euāgelij lectione mirabiliter reuiuiscit. rogatus postea, in eæ animi defectione sibi quid accidisset; respondit, delatū se esse cuiusdam iudicis ante tribunal, vbi ab alijs accusaretur, defenderetur ab alijs: in eoq. iudicio grauem apparuisse matronam, specie decoram, & misericordia pietateq. præstantem; quæ nescio quid in aurem iudicis insusurrans, oculis sese hilarioribus intueretur, & animū spe completeret. Dei Mater hæc erat, quæ vt est ad omnem misericordiā prona, periclitanti succurrit. itaque vt ille ad sese redijt, voces continuo misit tantæ Matris poscentes opem, quæ vel ab ijs, qui aderant, dicuntur exceptæ: nihil vt in dubium Visi veritas reuocetur.

I N B V R G E N S I Collegio data est soluedis peccatorum vinculis perutilis opera. Componendis quoque sedandisq. discordijs, proximorum otio salutiq. consultum est. Multi autem, quorum vitæ moresq. offensionem ceteris erant, ad frugem ac disciplinam reuocati. Complures etiam, quæ ex alienis fortunis contra officij occupauerant, sua cuique restituerunt. Et in his quidam bona sua reddidit vniuersa, vt dissolueret aliena. Iam Burgenſe Collegij
(quod

(quod ad externam rem attinet) quamquam neminem adhuc Fundatorem agnouit, ei tamen hoc anno Iaensis Episcopus de nobis iam pridem optime meritus, aureos quotannis mille, nullis adiectis conditionū oneribus, assignauit: cū idem antea in rē sacrā aureos quingentos eleemosynæ nomine contulisset.

MEDINENSIS PROBATIONIS
Domus & alia quædam Collegia.

EST In Medinensi Ciuitate ex eo hominum genere sodalitas quædam, qui has sibi officij partes pie ac religiose vendicant, vt publicis custodijs subsidio veniant, & pueros expositos tueantur. horum obsequijs sua nostri adiungunt officia; nec mediocri ad huius pietatis laudem incitamento sunt. Est & hic consentientium turba permagna, cui Sacerdotum vix viginti sedulitas satis est. qua ex re neoptata quidem desideratur vtilitas, cum è pœnitentium numero etiā Sacerdotes & Parochi, quò peritiores postea ad animarum culturam accedant, spiritualibus sese excolant exercitijs. Docti sunt etiam qui alieno inter se animo erant, pacem concordiaq. tueri: cūq. viros inter nobiles quædā intercederet cōtrouersia, in qua de vita bonisq. omnibus agebatur; nostrorum interuentu ac diligentia, ingenti totius reipublicæ gaudio, dirempta lis est. Quamquam autē iuuandis ciuibus, nihil operæ curæq. detrahatur, faciunt tamē nostri, vt vicinis quoque oppidis suas vigilias curasq. dispertiant. Quodā in oppido informa-

tum est ad pietatem & disciplinam mulierum Cænobium, & singularum excepta confessio. eodemq. modo pagus expiatus est alius, quamuis sat frequens & plenus. Presbyteris autem non modo aures penitentibus rite data, sed officij quoque conscientiaq. rationes perutiliter explicatae. Iam consuetudinem suam benefici retinent, ut suis opibus nostram leuent inopiam. aureos mille nummos stipis nomine contulerunt: in eoq. benignitatis genere primas facile fert huius loci Fundatrix; quae quoniam semel in nos, ut alijs litteris scripsimus, liberalis esse cepit, numquam à sua consuetudine institutoq. recedit.

SEGOBII præter reliquas sacrarum confessionum opportunitates, quibus ne Sacerdotum quidem copia par esse potest, complures se ad dies aliquot, ceteris posthabitis curis, contemplationis studio dederunt: cuius rei beneficio, ut intelligatur, quanta in oberndis meditationibus nostris lateat utilitas, viri undecim perfectam vitæ rationem absolutamq. virtutem in cænobijs sibi profuturam existimarunt. Id ipsum de Abulensi Collegio dici potest: ex quo etiam cum utilitate mirifica, pagorum est peragrata vicinitas. cohibitaq. iræ non lenes, præsertim quæ nobiles inter viros extiterant: & ex animi sententia res composita, non sine publica voluptate.

PALENTIAE concionũ adiumentis, quæ varijs præcipuisq. habentur in templis, quotidianus penitentium numerus augetur: isq. non è civibus modo

do, sed etiã ex aduenis et finitimis. Declarat autẽ ciuitas, quantũ Societati tribuat, non modo cõsulendis adhibẽdisq. nostris, cũ eorum operam consiliũq. desiderãt; sed etiã prolixã benignitatis notis ac documẽtis, cũ egemus et laboramus ipsi. Accepta sũt stipis nomine aureorum amplius duo millia: deditq. insuper magistratus concordi omnium ordinum voluntate publicas vias duas, nec quisquam est inuentus, cum in consilium relata res est, quin causã nostrã valde faueret.

LOCRONII Turca nobilis, quamquam patriam vanitatem mordicus tuebatur, nostrorum tamen hortatu ad verum Dei cultum religionemq. se transtulit. Obita est etiam cum Episcopo diœcesis, quo in itinere non minus nostri animis, quam cum domi se continent, profuerunt. Ceterum Locroniã idem rerum cursus & status est.

OMNATENSE COLLEGIVM
& reliqua.

PRAECIPVA Omnatensis Collegij vtilitas in percurrentis oppidis fuit, vbi ea omnia administrata sunt munera, quã instituta Societatis ratio postulabat. Et vt facultatem ciuitas augeat benemerendi de plurimis, aream nobis ad exaedificandum templum attribuit, et in eam rem peropportuna subsidia pollicetur.

IN MONTE Regali vni Societas data est, alijsq. spes oblata, quibus à Deo hæc donata mens est

est. Ex Academia quoque alij ad alios ordines quotidie migrant: duciturq. ex templo, quae solet, utilitas. celebratur id à penitentibus sane multis; nec eorum in eluendis animis studia languere Sacerdotes in otio patiuntur. Accurate præterea plebis per catechesim instituenda munus obitur; in eoq. decem octone de nostris saepe versantur. Ac præter res ceteras de more gestas plurimum è profectioe quadam accessit animis lucri, præsertim redigendis in gratiam ijs, qui trigesimum iam annum mutuum sibi struebant interitum.

E LEGIONENSI quoque Collegio in varios pagos deriuatur industria: ijq. tanta cum incolarum tum opportunitate, tum gaudio obiti sunt, vt ad nostrorum aduentum, frequenti campanarum pulsū publicæ interdum ederentur signa lætitiæ. Mirum quanto studio diuinū verbum exciperent vniuersi, saepe fuit è templorum angustijs, vt confertissima multitudini satisfaceret, in apertos ac patentes campos prodeundum: cumq. hic illi concionem arreptis auribus audissent, ad alias in alios pagos nonnulli saturi concurrebant. Quodam in pago quinquaginta amplius sese ab vniuersæ vitæ peccatis, sacris confessionibus expiarunt. Erat in oppido quodam tanta ouibus cū Pastore contentio, vt ne exactis quidem pane Paschatis ferijs, quispiam esset peccata confessus. sed cum Pater aduenit, tum & gregem cum Pastore coniunxit, & Deo per penitentis sacramentum reconciliauit. Alio in loco cum hoc ipsum sacramentum quidam perperam adhiberet, visus est sibi

sibi videre cæli Reginã irato quasi vultu iubere, certo in loco ad statã horam adesse, vbi Patres quosdã offenderet, apud quos animi noxas elueret. paruit ille confessim admonitioni, et Patres vt sibi prædictũ erat, offendit: quibus ad confessionẽ adhibitis, magnũ è Dei matris beneficio lætitiæ fructũ cæpit. Alibi cõcordia veteres inter discordes, quos nullius auctoritas reducere in gratiã poterat, confirmata est. Atq. hoc de gratiarũ compositione dici etiã vberrime de Numantino ceterisq. Collegijs potest.

EST autẽ Numantiã in eadem nouã maxima omnium hominũ celebritate, nobilitatisq. conuentu facta migratio. cohonestauit eum diem egregia concio Osmensis Episcopi, qui ipsum quoque templum solẽni ritu ac cerimonia dedicauit, magnificeq. ab Osmensis adis Antistite solemnia sacra sunt facta.

COMPOSTELLAE quoq. ad obliuionẽ iniuriarũ vox nostra valuit. pepercit vir vxori, quã tradiderat ad suppliciũ: et iam securi subiectæ erãt ceruices muliebres, cũ uir subito ad clementiã versus, mittit, qui è carnificis manibus fontẽ eximat. hæc nostri vt mortem animi, eadem, qua corporis, felicitate vitaret, collecta precario stipe, in Cænobio mulierũ collocarunt. Sed vt domestica fileatur utilitas, ingens ea fuit, quæ paganorum animis est allata. Sacerdos vnus paucis mensibus multa consentiũ millia cum alijs Parochis audiuit: atque vt ardentius paganorum studia ad cultum pietatis præstans Archiepiscopus inflammaret, plurimum per nostros argenti cum maximo Coronarum ac Rosariorum numero disper-tiendum vulgo curauit. Ad externa vero cõmoda accessit,

accessit à ciuitate fons aqua, magno Collegij bono
 extructumq. insuper est Illustrissimo Archiepisco-
 po Francisco Blanco Fundatori Sepulchrum, quod
 totam illustrat & honestat eadem.

VILLAGARSIÆ Domus quamquam
 id potissimum spectat, vt nouitios, & recentissimum
 quemque ad omnem virtutem expoliat, id quod agi-
 tur accurate; tamen eodē quoque tuendū iuandiq.
 proximos studio, ac cetera Collegia & domicilia, te-
 netur. qua quidem in re diligentem animorū pro-
 curationem vtilitatis sæpe fructus adæquat. qui vt
 vberior perpetuò sit, retinet suam in nos liberalita-
 tem lectissima femina Magdalena, & huius Domus,
 & Ouetensis Collegij fundatrix: dum non ad habi-
 tandum modo nobis luculentum Cœnobium, sed ad
 res curandas diuinas templū elegans exstruit. huic
 Deus Optimus Maximus, quando tenuitas nostra
 non potest, mercedem ipse pietatis exsoluat.

POMPEIOPOLI quoque augēdis animo-
 rum commodis præbetur occasio, partim quotidiano
 hominum ad sacramenta concursu, ex quibus viri
 nobiles è regio concilio sæpe conueniunt; partim
 Proregis Episcopi q. & aliorum in nos magistratū
 vulgo iam perspecta beneuolentia. Ac Proregis
 quidem benignitate, bona pars adium absoluta iam
 est. Episcopus autem annuis ipse quoque subsidijs
 tenuitati nostræ succurrit. Exitur & ad animarum
 questum in ceterum agrum, eadem munerum oppor-
 tunitate, qua ceteris locis: quod ipsum cum Villa-
 garsia ceterisq. Collegijs solemne est, tum Ouetensi
 pract-

precipuum. Mittit enim Quetense Collegium in agrum proximum, & multas operas & idoneas, quibus Deus vixur continenter ad sananda in populis vitia: eorumq. studijs ac laboribus tantum sibi nomen Societas comparavit, vix ut quisquam morbo tentetur, quin subito expiandi animi causa nostros evocet. fuerunt autem expiationes adeo frequentes, ut earum summa, quae ab ultimis modò annis inchoata sunt, octingentas excedat. Hinc nimium opportunitates natae reliquae: seu reconciliatae veteres gratias spectes, seu vitiorum sublata dedecora. Foveat Deus hanc nostrorum in tutandis animis mentem: ut quò plures conservauerint tutatiq. fuerint, eò maiora ac solidiora gaudia, & sibi, & caelestibus pariant.



DOMVS PROSA VALEN-
tinae & Valentinianae Collegium

VALENTIANAE
L PRO-